Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

·IEREMIAS·

mida soror eius. Et abiit et fornicata est etiam ipsa. et facilitate fornicationis suae contaminauit terram. et mechata est cum lapide et ligno. et in omnibus his non est reuersa ad me perfidia sororis eius iuda in toto corde suo. sed in mendacio. ait dominus. Et dixit dominus ad me. Iustificauit anima sua a uersatrix israel. comparatione praeuaricatricis iuda. Vade et clama sermones istos contra aquilonem et dices. Reuertere auersatrix israel. ait dominus. et non auertam faciem meam a uobis. quia sanctus ego sum. dicit dominus. et non irascar in eternum. tamen scito iniquitatem tuam quia in deum tuum praeuaricata es. et diffusisti uias tuas alienis. subtus omne lignum frondosum. et audisti uocem meam non auditis. ait dominus. Conuertimini filii reuertentes. dicit dominus. quia ego uir uester. Et assumam uos unum de ciuitate. et duos de cognatione. et introducam uos in sion. et dabo uobis pastores iuxta cor meum. et pascent uos scientia et doctrina. Et cum eis multiplicati fueritis et creueritis in terra in diebus illis. ait dominus. Non dicetur ultra arca testamenti domini. neque ascendet super cor. neque recordabuntur illius. neque uisitabitur. neque fiet ultra. In tempore illo uocabitur ihe solium domini. et congregabuntur ad eam omnes gentes. in nomine domini in ierusalem. et non ambulabunt post pertinacitatem cordis sui pessimi. In diebus illis ibit domus iuda ad domum israel. et uenient simul de terra aquilonis ad terram quam dedi patribus uestris. Ego autem dixi. Quomodo ponam te in filiis. et tribuam te terram desiderabilem hereditatem praeclaram. exercituum gentium. Et dixi. Patrem uocabis me. et post me ingredi non cessabis. Sicut si contemnat mulier amatorem suum. sic contempsit me domus israel. dicit dominus. Vox in uiis audita est ploratus et ululatus filiorum israel. quia inquinauerunt uiam suam. obliti sunt dominum deum suum. Conuertimini filii reuertentes. et sanabo auersiones uestras. Ecce nos uenimus ad te. tu enim es dominus deus noster. Vere mendacia erant colles. multitudo montium. Vere in domino deo nostro salus israel. confusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra. greges eorum et armenta eorum filios eorum et filias eorum. Dormiemus in confusione nostra. et operiet nos ignominia nostra. quia deo nostro peccauimus nos. et patres nostri ab adolescentia nostra usque ad diem hanc. et non audiuimus uocem domini dei nostri. Capitulum. iii.

Si reuertis israel. ait dominus. ad me reuertere. Si abstulerit offendiculum tuum a facie mea. non commouebis. Et iurabis uiuit dominus in ueritate. et in iudicio. et in iustitia. benedicent ei gentes. in ipso laudabunt. Haec enim dicit dominus uiro iuda. et hierusalem. Nouate uobis nouale. et nolite serere super spinas. Circumcidimini domino. et auferite praeputia cordium uestrorum. uiri iuda. et habitatores hierusalem. ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea. et succendatur. et non sit qui extinguat. propter malitiam cogitationum uestrarum. Annuntiate in iuda. et in hierusalem

dño